

## De Plauti Rudente.

Omnium fere Plautinarum fabularum minime suspicionibus atque offenditionibus laccessita est Rudens, cuius his duobus annis duae novae exstiterunt editiones, Ussingianam dico Hauniae a. 1886, Ritschelianam a F. Schoellio a. 1887 editam. Quidquid de utraque judicamus, certe denique tandem certis fundamentis criticis in hac fabula nisi nos posse Schoellii opera gratissimis animis omnes concedemus. Accedit, ut in studiis Langenianis Berolini 1886 editis complura, quae operae pretium est accuratius cognoscere, accepimus. Weisianis illis quidem luminibus criticis hac in fabula vel minus prope quam in ceteris nos lucrari minime mirum est, cum illustrem illum criticum cornu copiae laudis abundantier in hanc unice Plautinissimam fabulam evolvere videamus. Teuffelii „studia“ de anno tantum, quo edita sit fabula, agunt. In opusculis Plautinis Ritschelii praeter singula invenimus elegantissimam illam Plautinarum fabularum censuram, quae de Rudente quoque quamvis breviter agens satis recte judicavit. Usque ad Schoellianam autem editionem Fleckeiseniana atque Benoistiana utebamur.

Sed primo ipsius fabulae simplicissimum, ut plerisque videbatur, argumentum paucis exponam. Plesidippus adulescens Atheniensis Cyrenis a Labraco lenone amicam suam Palaestram triginta minis destinaverat. Accepto enim arrabone leno se eam postridie in Veneris fano voto deae soluto atque prandio insuper addito adulescenti traditurum esse jurejurando pollicitus erat. Sed ab hospite Agrigentino perductus violata fide et puellis et ceteris opibus clam Plesidippo in navem impositis in Siciliam navigare constituit. Sed tempestate deorum ira coorta per naufragium et puellae et leno cum hospite prope fanum Veneris, quo adulescentem per fraudem invitaverat, delati sunt. Adulescens nuntiata lenonis profectione maritima fraude patefacta tamen, cum lenonem ad portum non jam comprehendisset, ipse cum tribus amicis armatis, ut experiretur, num leno fidem datam praestaret, ad templum illud Veneris prope mare situm contendit. Sed a Daemone sene Athenensi, vicino templi, ne hoc quidem loco lenonem apparuisse certior factus ad littus, in quo homines naufragos

conspicatur, accurrit. Interea puellae, Palaestra ipsa et altera lenonis ancilla, cui Ampeliscae nomen est, e mari ejectae ad Ptolemocratiam anum, sacerdotem Veneris, confugerunt. Quae cum eas benigne ad se recepisset, Ampeliscam ad Daemonis villam, ut aquam peteret, mittit. Sed superveniunt leno et hospes, fugit ancilla et cum Palaestra a Labraco de signo Veneris vi deripitur. Sed tum a Trachalione, servo Plesidippi, qui a domino ad templum praemissus Ampeliscae opera Palaestram convenerat, auxilio vocatus Daemones lenonem, qui et templum et sacerdotem violaverat, expellit, ipsum per vim retinet, dum Trachalio dominum arcessat. Reversus Plesidippus Labracem in jus rapit Palaestra et Ampelisca apud Daemonem relictis. Deinde vidulo lenonis cum cistella, in qua crepundia puellae inerant, a Gripo, servo senis, e mari excepto filia Daemonis agnoscitur Palaestra. Trachalio iterum dominum arcessit, qui lenone apud recuperatores damnato amicam sibi jam adjudicatam etiam a patre in matrimonium accipit. Tum vidulus lenoni redditur, Trachalione et Gripo manu emissis, Ampelisca a lenone seni vendita liberto Trachalioni nubit. Ita omnia pulcherrimum laetissimumque exitum habent, omnes fere omnia, quaecunque cupiunt, recuperant.

Sed jam aliquanto accuratius compositionem fabulae respiciamus. Ac statim totam fabulam in tres partes dissolvi atque dilabi videmus. Tribus enim locis finem actionis invenimus atque exspectamus. Nam cum adulescens lenonem in jus rapit amica feliciter potitus, fabula perfecta atque absoluta videtur esse his tribus actibus neque quidquam amplius desideramus. Deinde, ut Daemonis luctus inventa filia tollatur, Palaestra civis Attica agnoscatur et Plesidippo spondeatur, Trachalio manu emittatur, additur actus quartus. Iterum nihil amplius desideramus, sed additur actus quintus, quo quidem nihil novi audimus, nisi quod, ut etiam Gripo satisfiat, lenoni vidulus redditur, senex talento pro excepto atque servato vidulo accepto Ampeliscam a lenone redimit, ut Trachalioni nubat, Gripum manu emittit. En, fabulam omnibus partibus absolutam, qua unicuique satisfiat; continet enim duas nuptias, anagnorisin filiae, fidelem ancillam praemio afficit, duo servi, qui de dominis bene meriti sunt, manu emituntur, denique ne leno quidem nimis crudeliter multatur, cum vidulum suum, quem naufragio amiserat, cum longe maxima parte divitiarum recuperaverit atque etiam cenae adesse jubeatnr. Aliter sane in ceteris Plauti fabulis sub finem cum quadam festinatione agitur, multa verbis tantum nobis nuntiantur. Hic vero nihil fere nuntiis relinquitur, omnia ipsi in scena incipi atque ad finem perduci videmus. Itaque quid mirum, quod fabula 1423 versus amplectitur et longe longissima praeter Militem Gloriosum exsistit. Atque primo obtutu, id quod ab initio dixi, omnia optime se habere videntur. Tres illae fabulae partes satis arte inter se cohaerent et quae sequuntur, in eis, quae antecedunt, semper aliquo modo sunt indicata atque praeparata. Atque revera placet fabula variis de causis, praesertim cum praeter lenonem et Gripum servum omnes personae morum probitate atque pietate excellant. Ita praeter ceteros Daemones, probissimus ille senex, praemium singularis virtutis suo jure videtur reposcere. Nam et re familiari per comitatem aliis adjuvandis amissa et filia per praedones erepta summo dolore commotus e patria egressus est et Cyrenas

se contulit, ubi, etiamsi aliquando uxori suscenset, tamen et erga suos et erga alienos mitissimum se praebet atque benevolentissimum, ne servis quidem severius utitur. Duae tantum in hoc insunt exemplari Atheniensis disciplinae maculae, cum naufragos nimis neglegat et pulcherrimis illis clientis nimium delectetur. Deinde Palaestram, puellam religiosissimam, liberam civem Atticam esse atque parentes suos invenire libenter videmus, Trachalionem qui satis magnas partes egit et optime de domino est meritus, et libertate et amica donari gaudemus; ne Gripus quidem, quamvis invitus tam bene meritus sit, libertatis praemio prorsus indignus videtur esse; lenonem quoque lenius tractatum atque adeo ad cenam invitatum esse acquiescimus. Sed si mores personarum fortunamque satis probamus, tamen ipsa fabulae compositio videtur nimis soluta, ne dicam neglegentior.

Ac primum quidem quae Langenius l. c. p. 205 sqq. de regionis difficultatibus profert, mea quidem sententia tam gravia non sunt. Nam neque loci neque temporis tanto opere in Planti fabulis habetur ratio.\*). Secundo autem loco jure offendit ille in ineptissimis verbis, quibus Trachalio vv. 627 sqq. Daemonis auxilium implorat. Sed rectissime ipse addit poetam hoc loco id unum spectare, ut spectatorum delectationi serviat. Atque addo Cistellariae II, 2 non minus inepta Aleesimarchi verba eodem modo esse accipienda. Quod si deinde de libertate Palaestrae dicit, accuratior instituenda est disquisitio. Nam quae rationes intercedant inter puellam atque Plesidippum, aliquo modo obscuratum est a poeta. E prologo discimus vv. 43 sqq. adulescentem illam adamasse, cum e ludo fidicino domum redeuntem conspexisset. Triginta minis eam a lenone redimit. Atque revera eum summo illius amore correptum esse et ex ira, qua lenonem persequitur, et ex gaudio, quo actu quarto Trachalionis nuntium excipit, facile efficimus. Praeterea puellae et Palaestra et Ampelisca servum et dominum neverunt, Ampelisca v. 679 Trachalionem alloquitur „o salutis meae spes“. Tamen frigidius hi amores tota fabula tractantur. Non solum Ampeliscae cum Trachalione litiganti vv. 378 sqq. concedendum est amatorem neglegentiores fuisse in observando lenone atque retinenda amica, sed etiam ipsi III, 6 eum lenoni tantum deprehendendo atque in jus rapiendo operam dantem videmus, amicam neque salutat neque alloquitur nisi v. 878 sq.

„Tu, mea Palaestra et Ampelisca, ibidem ilico“

„Manete, dum ego hoc redeo.“

Cur Palaestram, quam apud recuperatores sibi adjudicandam esse, abjudicandam lenoni scit, non statim secum dicit? Ne servum quidem ei auxilio relinquit, sed ad arcessendos amicos dimittit, vv. 855—7 quamquam v. 858 addit:

„Post huc redito atque agitato hic custodiam.“

Custodia igitur opus esse non nescit, sed, dum per servum „tres illos chlamydatos cum machaeris“ arcessendos curat, quorum opera revera omnino non indiget, cum solus ad coercendum lenonem sufficiat, amicae plane obliviscitur. Neque vero est, cur amicam relinquat.

\*) cf. quae de hac re exposui in hebdomadalibus Berolinensibus 1887 p. 1277 sq.

Sane ut a patre agnoscatur puella, ita fieri opus est, id quod a poeta levius cum eis, quae antecesserunt, conjunctum est.

Sed jam ad Langenium revertamur, qui comparatis versibus 388 sqq., quibus Trachalio ab Ampelisca Palaestram liberam natam esse docetur, quod eum usque ad id tempus nescivisse vv. 393—4 demonstrant:

„O facinus impudicum,“

„Quam liberam esse oporteat, servire postulare.“

interrogat, unde servus v. 738 Atheniensem eam esse compererit. cf. v. 1105 et vv. 1109 sqq. Sed oblitus est homo doctus servum post versum 403 in templo Palaestram ipsam convenisse et usque ad v. 615 cum ea remansisse. Atque si Plesidippus haec non melius est edocutus quam servus, ad id Langenium reicio, quod supra de amore adulescentis dixi. Is ut erat locuples, statim postquam amore est correptus, puellam destinat, neque vero ullo loco diutius eum cum amica rem habuisse audimus. Quae cum ita essent, Palaestra nondum eum de patria atque parentibus certiorem facere vel potuit vel debuit. Neque vero lenoni operae pretium erat crepundia illa puellae eripere, praesertim cum adulescenti eam jam esset venditurus. Assentiemur autem Langenio reprehendenti, quod servus, postquam resciverit ipse, dominum de his rebus celaverit.

Neque melius cautiusve poeta coram Daemone de libertate servum facit dicentem. Cujus verba si audimus, non unam Palaestram, sed ambas mulieres, et illam et alteram lenonis ancillam, liberas natas esse putandum est. cf. vv. 736 sq.

„Numqui minus hasce esse oportet liberas?“ . . . .

„Atque eras tuas quidem hercle atque ex germana Graecia.“

746 „Quid mea refert Athenis natae haec an Thebis sient?“

1104 „Hasce ambas, ut dudum dixi, ita esse oportet liberas.“

1106 „Quid id ad vidulum istum, servae sint istaec an liberae?“

Quamquam legimus v. 750 eundem servum pronuntiantem:

„Namque huic alterae quae patria sit, profecto nescio.“

Itaque etiam Daemones lenonem ambas tangere vetat, ambas eum relinquere cogit, ambas lorarii ad Daemonem ducunt, quasi revera ambae liberae sint. Neque aliter potest intellegi, si postea Palaestra filia Daemonis agnita Trachalio v. 1220 a sene petit:

„Atque ut mi Ampelisca nubat,“

quamquam tunc una Palaestra lenoni erepta est, Ampelisca autem sine ulla controversia etiam lenonis serva est neque de ea redimenda ullo loco provisum est. Atque actu quinto lenonem videmus redeuntem et secum colloquentem vv. 1286—7:

„Nunc alteram illam quae meast visam in Veneris fanum,“

„Saltem ut eam abducam, de bonis quod restat reliquiarum.“

Postea sane Daemones Ampeliscam dimidio talento redimit, sed de ea re supra nulla mentio facta est neque poterat fieri, cum senex talento demum a Labraco praemio accepto tantam pecuniam adeptus esset.

Accedit, ut triplici modo mulieres lenoni eripi posse videantur. Nam Palaestram amicam, qui emerat, ab lenone est abducturus adulescens, iterum eam ut filiam suam in libertatem vindicabit pater, tertio ipsa dea Venus suas supplices defendit atque sibi postulat. Quod postremum ad ambas pertinet mulieres. Videamus scenam III 2 et 4. Legimus enim prioris scenae v. 643:

„Quibus adversum jus legesque hic insignite injuria“

„Factast fitque in Veneris fano.“

Vel apertius altero loco v. 722 sqq.

Labr.: „Mihi non liceat meas ancillas Veneris de ara abducere?“

Daem.: „Non licet: est lex apud nos —

Labr.: Mihi cum vestris legibus“

„Nihil est commerci; equidem jam istas ambas educam foras.“

„Tu senex, si istas amas, huc arido argentost opus.“

Daem.: „Haec autem Veneri complacuere.“

Adde versum 624 sq.

„Veneri Veneriaeque antistitiae“

„More antiquo in custodelam suum commiserunt caput.“

Sed neque Labrax in eis, quae sequuntur, hanc rem ullo modo respicit, neque adversarii ea ullo loco nituntur. Neque magis violatae sacerdotis Veneriae poenas pendere leno cogitur, nisi quod a sene atque lorariis e templo ejectus per vim atque minas retinetur, dum Plesidippus reversus eum in jus rapit. Apud judices autem de una fraude et perjurio, quo adulescentem destinata puella privare conatus est, agitur. Itaque quae de carnifice a Trachalione atque Plesidippo proferuntur v. 777 et 857, non serio accipienda sunt, quamquam Binderus priore loco revera de pactione cum carnifice inita cogitat. Sed quid hoc sibi vult? Neque enim adulescens ab initio rem plane perspexerat, immo lenonem ad templum ex composito esse venturum etiamtunc sperabat. Ipsum vero Plautum non sibi constare in eo moneo, quod Labrax 1286 sq.:

„Nunc alteram illam quae meast visam huc in Veneris fanum,“

„Saltem ut eam abducam, de bonis quod restat reliquiarum.“

se Ampeliscam de templo Veneris deducturum dicit, cum ipse 1116 viderit atque audiverit mulieres in Daemonis domum a lorariis duci atque ob id ipsum v. 881 fures eos vocaverit. Sed ejusmodi scrupulos comicae levitati condonandos esse minime in animo mihi est negare. Eodem modo defendi potest v. 725:

„equidem istas jam ambas educam foras.“

Mulieres enim jam non in templo sunt, sed a lenone modo inde dereptae in aram, quae extra templum proprius Daemonis villam videtur fuisse, confugerunt. Neque melius comparatus est v. 838:

„Certumst hasce hodie usque obsidione vincere.“

Neque enim jam de lenonis impetu vel obsidione mulierum revera cogitandum est, sed ipsi Labraci impendet pernicies, cum a lorariis clavigeris retineatur atque adulescentem a Trachalione arcessitum exspectet, qui Palaestram saltem ab illo defendat atque abducatur. Gravius vero mea quidem sententia est, quod tota scena tertia actus tertii et cum eis, quae antecedunt, et cum eis, quae sequuntur, aperte pugnat. Neque vero v. 697 sqq. potissimum laccessam

„Ilos scelestos, qui tuom fecerunt fanum parvi.“

„Ut ulciscare.“

quamquam jure nostro interrogabimus, qui fuerint illi scelesti, cum de uno lenone cogitandum sit, cui neque hac in re neque in aliis Charmides hospes auxiliari videatur. Sed totam dico scenam ceteris repugnare. Nam Daemones jam accurrerat, mulieres lenoni eripuerat, ipsum per servos eiciendum curaverat. Jam igitur nihil opus est Trachalionem verbis atque iis inanibus illas consolari atque confirmare. Immo 707 sqq. senex mulieres ita alloquitur, ut jam in templo eum eas convenisse atque allocutum esse appareat. Quid ergo sibi vult illa desperatio mulierum atque ejulatio, quid vana Trachalionis verba? Neque vero facile quisquam hoc loco de scenarum transpositione vel etiam ejectione cogitaverit.

Mirum autem est, quod, cum senex puellas cum lorariis ad aram reliquerit, lorarios reverso adulescente extemplo domum redire jusserset, hi tamen in scena manent, etiam, ut puellae ad Daemonem introducantur, suadent; magis etiam mirum, quod ne apud Daemonem quidem lorarii puellas relinquunt, sed etiam IV 4 eas denuo foras egressas cum sene prosequuntur, dum Daemones ipse v. 1051 eos dimittit:

„Ite, inquam, domum ambo nunciam ex praesidio praesides.“

Num vero ad aram mulieres defendens (cf. vv. 1048—50) uxorius suspicionem possit minuere, videtur dubitandum esse. Sed hoc loco necesse est ita fieri, ut domo egressi senex atque puellae Gripo atque Trachalioni occurrant. Itaque hoc, ut IV 1 Daemonis supervacanea verba, quae Gripum tantum indicant atque introducunt, ut aliis multis locis inania argumenta personarum e scena abeuntium, consuetudini comicae concedemus. Quamquam dixerit quispiam multo opportunius ipsam uxorem Daemonis prodire potuisse, praesertim cum v. 1179 sqq. tamen ad eam res sit deferenda. Sed fortasse satis longa fabula etiam sine Daedalidis persona videbatur poetae, et ob id ipsum ne Plesidippus quidem et Palaestra praeter eum locum, quem supra tractavi, una in scenam prodeunt.

Adulescentis partes omnino nimis coerceri atque reprimi videmus. De neglegentia ejus in servanda amica jam supra monui. Etiam minus intellegimus, quomodo factum sit, ut naufragos illos, quos interroganti ei Daemones digito demonstravit, non invenerit, quo cum amicis armatis contenderit, ubi hos relinquenter, cum a servo arcessitus iterum ad Veneris templum se conferebat. Tum Trachalio ad chlamydatos illos arcessendos missus quomodo in littore potest vagari et ita Gripum vidulum e mari excipientem conspicere? Quae res sane facillime poterat ad promovendam fabulae actionem converti. Etenim si servus, id

quod fieri oportere Langenio supra concessimus, dominum de Palaestrae parentibus atque patria certiores fecisset, cistulam amissam commemorasset, huic recuperandae operam dari prope necesse fuit, cui rei aptissimus servus ipse ad littus erat mittendus, qui tam sapientem et providum semper se praestiterat et in tempore puellis, domino, Gripe occurrit. Quacum sapientia non quadrat, quod eum v. 354 sq.:

Ampel.: „Confractast, mi Trachalio, hac nocte navis nobis.“

Trach.: „Quid, navis? quae istaec fabulast?“

a domino de consilio lenonis, quod alii nuntiaverant, celatum esse videmus. Nam dum Plesidippus ipse ad portum contendit, servum, ne quid praetermittat, ad templum praemittit ad lenonem ibi quoque requirendum. Num servus celari poterat de his rebus, quas jam dudum suspicatum se esse pronuntiat? Praeterea novit templum Veneris, sacerdotis Veneriae mentionem facit. Haec si nobiscum reputaverimus, mulieres templum omnino non novisse etiam magis admirabimur. Rectissime vero Langenius p. 212 sq. in eo offendit, quod Palaestra, cuius tamen maximo opere hoc intererat, reperto vidulo litigantibus Trachalione et Gripe per tantum tempus, quamquam satis prope adest, se illi disquisitioni nullo modo interponit. Neque mihi magis quam illi probatur hujus rei excusatio, quam Trachalio v. 1114 profert:

„Eo tacent, quia tacitast melior mulier semper quam loquens.“

Hac in scena revera etiam retractatoris manum in sermone nimis dilatato atque etiam saepius repetito et denuo incepto deprehendere videmur. Attamen silentium mulierum, quamvis illam servorum altercationem et senis interrogationem reprimamus et resecemus, semper offensionem praebet. Postea Daemonem nimis difficilem atque tardum in agnoscenda filia se praebere concedendum est. Sed graviorem etiam scrupulum mihi injicit altera disquisitio viduli actu quinto. Etenim sciunt puellae, scit Trachalio, scit Daemones, scit ipse Gripus illum vidulum lenonis esse. Sed cum is in scenam prodit, quid inter eum atque Gripum agi videmus? Non interrogat, id quod simplicissimum erat, Gripus, sitne advena naufragus leno, dominus puellarum necone. Sed eodem modo, quo superiore scena puellae, quid in cistula insit, interrogantur, etiam lenoni, quid in vidulo divitiarum habuerit, exponendum est. Tum postquam leno, quae insunt, enumerare incepit, servus v. 1315 sqq. exclamat gaudio elatus:

„Magna hercle praedast: largiter mercedis indipiscar:“

„Divi homines respiciunt: bene ergo ego hinc praedatus ibo.“

„Profecto hujus istest vidulus, perge alia tu expedire.“

quasi vero ipse, quid insit, sciut et hac re dominum viduli illum esse intellegat.

Evocat servus deinde Daemonem, qui nullo modo se lenonem jam antea vidisse atque etiam cum eo litigasse significat. Quid quod ne verbo quidem objurgans comiter alloquitur eum, qui filiam contra jus atque leges in servitute habuerat, qui igne se eam combusturum esse erat minatus. Neque cum leno de agnita filia certior factus seni gratulatur et se eam patri condonare dicit, repudiat Daemones impudentiam hominis, quamquam

Palaestram jam non esse lenonis, sed apud recuperatores Plesidippo aut adjudicatam aut etiam adjudicandam esse non ignorat. Nullo vero modo Ampeliscae, quamquam ejus nuptias Trachalioni promiserant, consulitur. Immo nisi forte fortuna Gripi pactione leno talentum pro recuperato vidulo solvere cogeretur, is statim accepto vidulo cum Ampelisca poterat abire. Quin etiam senex lenonem, cuius perjurio modo adeo iratus erat, ad cenam invitat. Lepidam videlicet atque concordem cenam! Quamquam hoc dixerit quispiam ob id unum esse additum, ut ad spectatores v. 1418 sqq. transeat.

His omnibus, quas adhuc exposui, offenditionibus spectatis atque perpensis non dubito, quin Rudentem fabulam ut non perfectam prorsus atque absolutam, ita non magis quam ceteras vitiis atque neglegentiis corruptam esse judicandum sit. Neque vero video, quid in hac fabula contaminatione, de qua quidem cogitari posse non nego, admissa lucremur. Nam res ipsae, non personae, quippe quae in utraque fabula, quomodounque eas institutas esse facimus, sint eadem, difficultates movent. Neque retractatori eas tribuere omnes possumus. Quae cum ita sint, uni Plauto nimis festinanti et, dummodo spectatorum delectationi serviat, argumentum levius consequenti ejusmodi offendiones adscribamus est necesse.

Jam de singulis nonnullis fabulae locis pauca addam. v. 385 nego Schoellium recte codicum lectione mutata scripsisse:

„Fur facile quom hau servat videt: custos qui fur sit nescit.“

Praebent autem codices hanc lectionem:

„Fur facile quem observat videt: custos qui fur sit nescit.“

quae cum sententiae loci optime respondeat, mea quidem sententia utique retinenda est. Schoellii autem conjectura non solum supervacanea mihi videtur esse, sed etiam alienam sententiam inferre. Etenim ex altera versus parte, quae priori opponitur, non de tempore neque de occasione furandi hoc versu sermonem esse, sed id unum agi, ut fur eum, cui furtum facturus est, certo noverit, ipse, cui insidiae struuntur, cum furem, quem caveat, ignoret, incertus sit atque „falsus“, quem potissimum observet. Quae cum ita sint, servata codicum scriptura omnia sana sunt, neque Schoellii neque Goetzii, qui scribere vult: „qui observat“, conjecturis opus est. Neque in modo indicativo haerendum est, quod Camerarius atque Bothius fecerunt.

Eodem modo v. 636 ex eis, quae antecedunt, evincitur codicum lectionem „si“ contra Franckenii Schoelliique mutationem esse retinendam. Qui cum pro „si“ scribunt „ni“, non satis verba Trachalionis, quae antecedunt, respexerunt. Nam cum verba senis servi verbis respondeant, utroque loco non contraria, sed eadem particula adhibenda est. Imploraverat Trachalio Daemonis auxilium per ea bona, quae Cyrenis potissimum inveniebantur, vv. 629 sqq.:

„teque oro et quaeso, si speras tibi“

„Hoc anno multum futurum sirpe et laserpicium“

„Eamque eventuram exagogam Capuam salvam et sospitem“

„Atque ab lippitudine usque siccitas ut sit tibi —“

„ . . . seu tibi confidis fore multam magudarim.“

„Ut te ne pigate dare operam mihi quod te orabo, senex.“

Age, confer Daemonis responsum vv. 635 sqq.:

„At ego te per crura et talos tergumque optestor tuom.“

„Si tibi ulmeam futuram speras virgidemiam“

„Et tibi eventuram hoc anno uberem messem mali.“

„Ut mi istuc dicas negoti quid sit, quod tumultues.“

Etiam quae sequuntur Trachalionis verba atque senis idem demonstrant.

639 Trach.: „Qui lubet maledicere? equidem tibi bona optavi omnia.“

Daem.: „Bene equidem tibi dico, qui te digna ut eveniant precor.“

Sed si Schoellum sequimur, revera senex Trachalioni neque maledixerat, ut servus verba accipit, neque ex ipsius verbis digna illo precatus erat. Neutri loco negationis vis potest inferri, sed rectissime se habent, quae codices praebent.

Versu 583 non intellego, quid sibi velit litium. Legimus enim hoc loco:

„Barbarum hospitem mihi in aedes nil moror, sat litiumst.“

Charmides a Scoparnione hospitium petiverat, sed illuditur a superbo servo. Barbarum hospitem opponit servus civibus suis, Cyrenensibus, itaque scribo sat civiumst.

Ita demum duae versus recte se excipiunt.

Tum v. 859 codices praebent:

„Ego hunc scelestum in jus rapiam exulem.“ in A Schoellio teste inter e et xulem spatium intercedit. Versum alii aliter restituerunt, Schoellius scribit:

„Ego hunc scelestum in jus rapiam, exigam exulem.“

oblitus supra v. 325 Trachalionem dixisse:

„Data verbo ero sunt: leno abit scelestus exulatum.“

atque modo ipsum adulescentem non exilio lenonis contentum se eum carnifici traditurum esse minatum. Itaque non est cassum sententia verbum illud, ut Schoellius putat, sed altero ipsius fabulae loco etiam explicatur atque defenditur, ut de Ussingii aliorumque mutationibus cogitandum non sit. Sententiae maxime idoneum mihi videtur esse, quod Fleckeisenus addit ja m ex postremis litteris verbi rapiam repetitum.

Venio ad versum 1248, ubi codices exhibent:

„Ego mihi cum lusi, nihil moror ullum lucrum.“

Quae cum intellegi non possint, alii alio modo sententiae satisfacere conati sunt. Sed quaenam est sententia? De ludendo talis et tesseris atque lucro ita faciendo in Daemone, qua est paupertate, quibus moribus, non puto esse cogitandum. Neque vero postea in pactione a Gripo cum lenone facta eum luerum nihil morari videmus. Sed hoc loco contra servum justitiam defendit, transennas, dolos vitanda esse, contra v. 1241:

„Diutine uti bene licet partum bene.“

Lambinus ita accepit vocabulum ludendi, ut significaret „honeste se oblectare,“ quod fieri

posse Acidalius recte negavit, sed non melius se habet, quod ipse dicit: „postquam mihi non modo non damno, sed et usui fuit hic vidulus, inventa nempe filia.“ Sequitur omnino iudendi significationem ab hoc loco alienam esse. Itaque accepta Ritschelii mutatione vocabuli m i h i scribendum propono:

„Ego nisi quod justum est, nil moror ullum lucrum.“

Tum v. 1259 sqq. in verbis Daemonis haerendum est:

„Nam illic cum servo siquo congressus foret,“

„Et ipsum sese et illum furti astringeret.“

„Dum praedam habere se censeret, interim“

„Praeda ipsus esset, praeda praedam duceret.“

Primus Franckenius intellexit versu 1259 non de servo cum servo alio quodam congregidente sermonem esse, sed de ipso domino cum servo. Itaque scribit:

„Nam illoc cum servo si quis congressus foret,“

Quod Ussingius non satis caute in priorem relabens errorem mutat:

„Nam illic cum avaro si quo congressus foret.“

Schoellius scribit eodem errore deceptus, sed ad codd. ille quidem proprius accedens:

„Nam illic servos si cum iniquo congressus foret,“

Neque vero Franckenii conjectura acquiescere nos posse ex eo concludimus, quod verba si quis sententiae non satisfaciunt. Nam revera congressus est quis cum servo, scilicet Daemones ipse, neque praegnantem qui dicitur sensum vocabuli congregandi, qui significet „pactionem facere“, probare possum, et si ita acciperemus, si quis non recte se haberet, cum domini atque ejus iniqui mentionem fieri desideraremus. Itaque ipse scribere malo:

„Nam cum illoc si erus iniquus congressus foret,“

Tum omnia bene procedunt: si dominus iniquus cum Trachalione esset congressus, is et se ipsum et illum i. e. servum furti adstrinxisset. Illum autem v. 1260 et illoc v. 1259 eandem personam spectare nemo potest negare.

Sub finem commentationis meae ad Langenium etiam revertor, qui „studiorum Plautinorum“ p. 71 inter repetitas sententias v. 190 sq. et v. 196 sq. numerat. Sed moneo hoc loco errasse hominem doctum. Nam priore loco de Palaestra „in parentes aut deos se impiante“ agitur, altero de „ipsa aut parentibus scelesti facientibus.“ Et quae deinceps sequuntur, cum puella lenonis, domini sui, culpa se obrui dicit, demonstrant aperte nexum sententiarum prorsus integrum esse.

Tum quod Langenius l. c. p. 371 duplum hortationem Gripi impugnat, equidem aliquo modo utrumque versum ita defendi posse mihi persuasi, ut significaciones vocabulorum tangendi atque tenendi inter se differre dicam. Priore loco 1333 dicit Trachalio:

.... „tange aram hanc Veneris.“

Quod cum fecisset leno, v. 1336 addit servus:

„Tene aram hanc.“

Jam si versu 1335 verba illa:

„id quod domist, nunquam ulli supplicabo.“

in quibus Langenius jure offendit, retinemus, tamen nullo modo Labraci posse ea continuari brevi demonstrabo. Etenim revera non est domi lenoni, quod a Gripo demum edoctus praeeunte servo repetitis verbis jurat. Neque quidquam in hac re lacuna a Schoellio constituta aut eius supplemento lucramur. Neque vero Trachalioni haec verba hoc loco tribui posse appetet. Ex simili aliis fabulae loco haec verba in hunc versum adscripta atque traducta in verborum contextum irrepsisse puto. Itaque cum Langenio versus 1335 sq. in unum sunt contrahendi:

Labr.: „Praei verbis quidvis. Grip.: dejera te argentum mihi daturum.“

Ita omnes difficultates evanescunt, et quam Langenio movebat vocabulum supplicandi, quod a Plauto ita non usurpari monet, et quam ipse attuli.



